

maxime videntibus ea loca, quæ paulo ante impiis tyrannorum machinis fuerant destructa, rediviva constructione clariora et tecliora consurgere, templaque excelsa pro humilibus conventualis elevari.» Audi Cyrillum Hierosolymitanum: «Isti qui non sunt reges pietatis ergo argento induentes et auro sanctam hanc ecclesiam resurrectionis splendendam effecerunt,» apud Boz. de sig. eccles. tom. II. lib. XX. cap. VI. D. Hieron. in epitaph. Nepot. commendat Nepotianum, quod sollicitus semper fuisset in vita: *Si niteret nitare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa et consita floribus; quod elegantissimi templi vestibulum arborum ramis et læta quadam viriditate ornasset.* Eiusdem mentis fuit David vir servandum cor Dei, qui ait: *Domine dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ:* ejusdem ingenii filius ejus Salomon, qui templo a se magnificentissime extracto noluit quicquam apparere, quod non aurum aut deauratum esset. Adde ipsum Deum, qui tabernaculum sibi fieri præcepit, splendidum, et vasa ejus pretiosa, Exod. XXV. Quare si veteris Ecclesiæ, et majorum nostrorum, si Davidis et Dei Filii ac posteris esse volumus, diligamus decorem domus Dei: ne sumus Judæ socii dicentis: *Ut quid perditio hæc?*

## CONCIO VII.

## TEMPLA CUR CONSECRANTUR.

I. Ut in iis sacra fiant. — II. Ut statum totius Ecclesiæ commoneant. — III. Ut moneant nos baptismi nostri. — IV. Ut ibi divina decentibus peragantur. — V. Ut dæmones ab illis arceantur.

## THEMA.

*Hodie salus huic domui facta est.* Luc. XIX.

Nihil novi est, auditores, si petulans juvenus venerandam rideat canitiem. Id enim non solum hisce temporibus fieri, sed et olim factum esse conspicimus. Legimus namque lib. IV. Reg. cap. II. quando Elisæus propheta qua canitie, qua sanctitate venerandus ascendit in Bethel, pueros parvos idololatrias de civitate egressos, illussisse dicentes: *Ascende calve, ascende calve;* quibus cum propheta maledixisset in nomine Domini, egressi sunt duo ursi de saltu et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Et quid aliud, quæso, faciunt parvuli illi et nuper nati Christiani (si tamen Christiani appellari debent) hæretici nostri sæculi, dum Ecclesiæ catholicæ non minus antiquitate, quam sanctimonia venerandæ, nusquam non illudunt, ejusque sacra omnia sub-

sannant et irridunt? Inter alia sacra sua consuevit S. Ecclesia ascendere in Bethel, id est, in domum Dei (hoc enim significat Bethel) eamque sacris ritibus Deo initiare, consecrare et dedicare. Quem ritum ipsa hausit a veneranda antiquitate, ut patet ex S. Clemente, epist. II. ad Jacobum fratrem Domini, ubi ait ecclesias et extrui et sacrari debere; ex S. Basilio, qui excusat se, quod istiusmodi cæremoniæ expectatione diu suspenderit populum; ex S. Athanasio, qui imperatorem ad similem actum invitavit; ex S. Cypriano, sermone de chrism. Augustino, Bernardo, qui cæremonias illas sermonibus suis explicant. Sed quid ad hæc hæretici nostri? Omnia hæc tam sancta, tam antiqua, et in sanctis litteris fundata subsannant et exsibilant, velut histrionica. Ecce tibi pueros; quorum secta vix centum annorum est, canitiem et calvitiam Ecclesiæ ridentes. Sed sperandum est pueros istos cum sua novitia secta non diu tolerandos, eorumque sectam brevi lacerandam et dissipandam. Nos porro ostendimus recte ab Ecclesia consecrari templa.

I. Ut Deo et divinis actionibus sacra fiant, adeoque ab omni profanatione impolluta serventur, et servanda esse sciantur. Debet enim hoc externis quibusdam ritibus manifestari hominibus, quod videlicet locus hic vel ille Deo sacris rebus deputatus sit, ut fieri etiam solet in contractibus, nuptiis, coronatione, etc. Quoniam ergo dedicatur Christo, ideo ad hoc significandum pingitur signum ejus, id est, crux, qua tamquam sigillo munitur et obsignatur undique. Et quia non debet esse profana et communis domus, sed sacra et regia (unde basilica vocatur) ideo inungitur sacro oleo. Hoc enim cum sit nobilissimum et penetrantissimum liquor, aliis liquoribus supereminens, appositissimum et communissimum est consecrationis symbolum. Quia rursus templum destinatur sacrificiis, orationibus et aliis sacris functionibus, ideo aspergitur aqua benedicta, thus adoletur, cerei accenduntur, scribitur in pavimento alphabetum Græcum et Latinum, quia in illis duabus linguis tantum fit missæ sacrificium. Et quia sacratur ad concionandum et docendam fidem, quæ est fundamentum justitiæ, ideo describitur in pavimento alphabetum, idque Græcum et Latinum, quia illis linguis utebatur tota fere Ecclesia quando has cæremonias instituit. Quia etiam in templo non solum docentur homines, sed etiam moventur, inflammantur ad virtutem et vitæ novitatem, ideo fit mixtio aquæ, cineris, salis et vini. Aqua hominem indicat frigidum et insipidum, cinis penitentiam et mortificationem, sal saporem et sapientiam, vinum lætitiæ et fervorem novæ vitæ. Quia deni-

que diabolus inde ejicitur, Deus invocatur et sancti, ut in eo loco habitent, ideo pulsato ter ostio jubetur abscedere dæmon, vicissim reliquiæ sanctorum introducuntur.

II. Ut statum, progressum et sanctificationem Ecclesiæ, quam per Christi passionem consecuta est, designet. Ecclesia enim materialis spiritualem designat, Primo ergo, proponitur et pingitur crux tamquam Ecclesiæ vexillum, sub quo voluit Christus conscribi milites suos Christianos. Ad hæc accenduntur duodecim lumina coram totidem crucibus per ecclesiam dispositis, ad significandum, quod duodecim apostoli hoc vexillum Christi per totum orbem terrarum portaverint, et sua prædicatione mundum illustrarint: unde apost. I. Corinth. I. *Prædicamus Christum crucifixum, etc.* Secundo, pontifex cum clero et populo ter circuit ecclesiam, templum interim aspergens aqua benedicta, et ter ecclesiæ fores pulsans ad ejiciendum inde adversarium, et fores reseandas; quibus tertia demum vice apertis adversarius, qui templum inhabitaret diffugit, et episcopus dicit: *Pax huic domui.* Quare docemur Christum ejusque vicarium pontificem cum suis fidelibus per annos 300. circuisse mundum eumque aspersisse partim aqua verbi Dei, partim sanguine martyrum: pulsasse etiam fores mundi illius obsecrati tripliciter: miraculorum ostensione, vitæ innocentia et sanctitate, verbi Dei prædicatione constanti et imperterrita, ut ejiceret inde idololatriam ejusque auctorem dæmonem: id quod post 300. demum annos sub Constantino Magno potissimum obtinuit. Tunc enim Christianis licuit ingredi et egredi, tunc pax Ecclesiæ reddita est plenaria, tunc fugata idololatria. Tertio, per totam ecclesiam ab oriente versus occidentem describit in pavimento alphabetum Græcum et Latinum in formam crucis, ad indicandum quod transierit evangelium ab oriente ad occidentem, id est, a Judæis ad gentes, et quod sub Constantino maxime cœperit prædicari evangelium per universum orbem, ac duabus potissimum linguis, Græca scilicet et Latina. Quartum miscetur aqua cum vino, sale et cinere, eaque cum hyssopo conspergitur ecclesia, in signum baptismi, qui sub Constantino potissimum cœpit totum orbem aspergere. Aqua baptismum et alia sacramenta, cinis mortem Christi, unde is efficaciam suam habet, denotat: sal et vinum prædicationem verbi Dei sapientem, qua baptismus promulgatus: hyssopus herba humilis, radicem in petris habens, fidem, per quam applicat, denotat. Desumptus videtur hic ritus ex Num. XIX. ubi dicitur periturum de populo, qui non fuerit aspersus hyssopo et aqua cum cinere vac-

cæ rufæ mixta. Quinto, formantur et liniuntur chrismate cruces in parietibus, quia et tunc (sub Constantino) vexillum crucis publice erectum et cultum fuit; necnon inunctum, quoniam ipsa crux ejusque imitatio facilis, suavis et jucunda facta est cultoribus suis. Sexto, reliquiæ in altari conduntur; quia et nunc sanctorum reliquiæ honorificentius condi et coli cœperunt, uti et ipsi sancti non jam amplius occidi, sed magnificari.

III. Ut quivis hominum admoneatur templi sui spiritualis, quod est ipse in baptismo Deo consecratus, Deo dedicandi et sanctificandi. Ergo initio episcopus ter circuit ecclesiam et ter pulsat ejus fores; sic initio Deus per suos prædicatores circuit quasi, et movet animum hominis infidelis vel peccatoris ad fidem vel penitentiam investigando ejus conscientiam circa cogitationes, verba et opera, pulsatque cum triplici ictu, ostensione suorum beneficiorum, promissione præmiorum, comminatione pœnarum. His modis stat ad ostium et pulsat quousque homo ejiciat ex se dæmonem seu peccatum.

Secundo, ingressus episcopus eodem baculo describit in pavimento cinere consperso alphabetum; sic Deus per suos præcones in cordibus penitentia inscribit rudimenta fidei, faciens eos catechumenos. Similiter in cor peccatoris jam christiani inserit meditationem mortis, eaque mediante inscribit ei propositum emendationis; quasi diceret: Animadvertite, cujus vestigia sunt hæc, uti in simili legimus, Dan. XIV. ut ita penitens respondeat cum prodigo, Luc. XV. *Surgam et ibo ad patrem meum, etc.*

Tertio, aspergit episcopus templum aqua benedicta et accendit cereos: sic post catechismum sequitur baptismus, in quo datur ei cereus in manus, ut noverit habendam sibi fidem vivam et ardentem, cum qua velut lampade accensa occurrere possit Christo. Vel si homo sit fidelis, aspersio notat penitentiam et absolutionem sacramentalem, qua lavatur a sordibus suis peccator; cerei significant instructionem, quam penitenti dat confessarius, ut intelligat peccatorum gravitatem, et media norint ad ea deinceps vitanda.

Quarto, cruces in parietibus effigiantur pollice chrismate tincto; sic baptismum sequi debet confirmatio. Vel si homo est fidelis et penitens, formatur in eo crux, cum monetur renuntiare prioris vitæ licentiæ et tollere crucem suam, abnegando seipsum voluptatibus et peccatis et quævis contraria potius perpeti, quam relabi in peccata, quæ tamen crucis asperitas suam habet unctionem et suavitatem, uti docet S. Bernard. serm. I. de dedicat.

Quinto, fit mixtio salis, aquæ, vini et cineris, ut indicetur totam vitam hominis consumi debere in mortificandis vitiis et sectanda vitæ novitate: vel in homine pœnitente significat satisfactionem competente a confessario inunctam.

Sexto, reconducuntur in altari reliquiæ: *Quæ sunt exempla*, inquit Innocentius, serm. II. in dedicatione templi, *nobis ad imitandum relicta*. Hæc in capsula reconducimus, cum ad imitandum ea in memoria retinemus. Quod iisdem vero reliquiis tria thuris etiam grana adjunguntur significat sanctorum exempla cum fide Trinitatis debere nos in memoria retinere; nam sine fide impossibile est placere Deo. Tabula superposita charitatem innuit, de qua apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, etc.* Mensa inungitur, ut charitati misericordia adjungatur, unctio namque misericordiam designat. Sex locis inungitur tabula, in medio, in fronte, et in quatuor angulis: ita sex sunt opera misericordiæ. Post unctioem adoleatur incensum, ut fama boni operis effundatur ad proximos et ita Christi bonus odor simus in omni loco. Vestitur hoc altare, quando bonis operibus cor mundum adornatur et virtutibus; et tunc offertur in eo gratissimum Deo sacrificium. Atque hac ratione sanctificari debet, qui ad sacramentum altaris accedere vult, quam sanctificationem præviam denotari per templi dedicationem asserit S. Thomas, III. p. q. LXXXIII. art. ad II.

IV. Ut ibi divina decentius et salubrius peragantur majori videlicet cum reverentia, et populi ac cleri devotione. Ut enim non decet profana in sacris locis fieri et tractari: ita non decet sacra in profanis locis tractari, nisi necessitas compellat: unde S. Basilius, in contract. reg. q. CCCX. *Quemadmodum, inquit, ratio non admittit, ut commune vas in sancta loca inseratur: ita neque permittit ut sacra in profanis ædibus celebrentur.* Quare sicut apostolus reprehendit eos, qui in ecclesia edebant et bibebant, I. Cor. XI. dicens: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesias Dei contemnitis?* Ita eosdem etiam reprehendisset, si dominicam cœnam in privatis ædibus sumere voluissent. Centurio quamvis adhuc gentili indignam judicavit domum suam, in quam intraret Christus, ideo eam vocat tantum *tectum*; quanto magis id fecisset, si Christus in ea perpetuo habitare voluisset? Oritur etiam hinc in cordibus fidelium major reverentia erga locum sacrum, quem tot sanctis cæremoniis Deo initiatum esse intelligunt. Quis enim vel aulam principis terreni splendidam ingrediens non prius tergit pedes, non inibi sibi attendit, mores componit et conspectum princi-

pis omni reverentia præstolatur? Ergo nisi plus quam agrestibus moribus simus, id ipsum multo impensius in templo faciendum, quod novimus esse Dei aulam.

V. Ut maligni spiritus per hoc a templis longius arceantur. Num enim dubium est, quin illi multo maxime ingrediuntur locis istis, ubi fideles ad Dei cultum, et animæ suæ salutem pertractandam conveniunt. Illud enim castellum maxime impugnat hostis, unde maxima damna accipit. Quare ne in illis infestiores sint Christianis, salubriter benedicuntur. Quod si magnatum ædes, fere hoc habent privilegium, ut nemo reus ibi a lictoribus capi vel inde abstrahi possit: cur non hoc privilegii habeant ædes sacræ, ut ne mali genii pro libitu grassari in illis queant? Exemplum refert S. Greg. Magn. lib. III. dial. cap. XXX. et aliud Sigebertus, in chron. ut alibi vidimus.

Porro Deo placitas esse templorum dedicationes, colligimus ex miraculis, quibus interdum sancti initiarunt templa consuetis Ecclesiæ cæremoniis, uti S. Petrus templum suo nomini dicatum Londini, apud Bedam, lib. II. hist. Anglor. c. III. S. Leo papa IX. cui Ratispona Norimbergam proficiscenti duo quidam viri illustres Schwarzeburgicorum dynastiarum gente occurrentes rogavere, uti paululum flecteret iter in latus, ubi in conspectu ædiculam s. cruci constituerant, et sacellum sacra cæremonia dedicaret. Leo non digressus loco, sed protensa manu signum s. crucis expressit absensque locum consecravit. Quare conditores haud contenti instabant, ne gravaretur ipse accedere et aras initiare. Tum deinde pontifex: *Ite, inquit, et ubi rite lustratæ ædis signa expressa deprehenderitis, reversi me revocate.* Abiere, domum sacro oleo delibutam offendere, cruces, litteras in pulvere scriptas et alia lustrationis peractæ certissima argumenta, nec dubitavere, quin pontifici celites subministrarent, ita p. Matth. Rader. in Bavaria sancta, vol. I. in Leone. Quinetiam ipsemet Christus templum S. Dionysii, apud Robertum Gaguin. lib. III. annal. Franc. et ædem Beatæ virginis ad eremum apud Helvetios, ut refert Christoph. Hartman. in annal. eremi. Helvet. anno 747. sacris ritibus dedicavit.

## CONCIO IX.

OBJECTIONIBUS HÆRETICORUM CONTRA DEDICATIONEM ECCLESIE RESPONDETUR.

I. Carpunt dedicationem. — II. Carpunt cæremonias. — III. Carpunt anniversarium dedicationis. — IV. Carpunt populi concursum. — V. Carpunt abusus.

## THEMA.

*Cum viderent omnes, murmurabant.* Luc. XIX.

Vulgo dicimus, nos Germani, nullum esse sacellum tam exiguum, cujus dedicatio semel in anno non celebretur: nihilominus tamen contra hanc consuetudinem arietat Lutherus, in libro ad nobilitatem Germanicam, ubi ait: *Ante omnia dedicationes funditus extirpari debent, cum nihil aliud sint, quam taberna, nundinæ et aleatorum lusorumque scenæ.* Audiri mihi videor Pharisæum aliquem in hodierno evangelio murmurantem contra Christum, quod diverterit ad Zacchæum. Quod enim ibi fecit Dominus, hoc spiritualiter facit Ecclesia adhuc, cum templum aliquod dedicatur. Ingressus enim domum, prius profanam, facitque eam domum suam et imperit ei salutem. Cavillatur hoc Lutherus. Sed nos cum Zacchæo stamus in sententia nostra. Nec quicquam etiam effecit Lutherus apud suos, imo nec apud seipsum, ut testantur conciones, quas in anniversariis ecclesiarum dedicationibus habuit, habentque sectatores ejus Prædicantes.

I. Murmurant contra dedicationem, quod templa nostra tanta lætitia et solemnitate dedicentur. Sed ego cum Zacchæo stans, respondeo: *Ecce Moyses jussus est a Deo sanctificare tabernaculum et cuncta ejus vasa, Exodi XXX. ecce Salomon, Esdras et Macchabæi, tribus distinctis vicibus templum illud Jerosolymis maxima cum lætitia et solemnitate celebrarunt, ut videre est, II. Par. VII. Esd. I. c. VI. I. Macchab. cap. IV. quin et gentiles sua templa maxima solemnitate initiassent leguntur apud Tacitum, lib. IV. histor. Alex. ab Alex. lib. VI. cap. XIV. Liv. I. XIX.* Quæ omnia ostendunt templa omnium gentium opinione Deo sacra, et a profanarum rerum numero exempta esse debere, ac proinde ea certis ritibus, et ex naturæ instinctu dedicari. Hoc et Christus indicavit, cum dixit: *Domus mea domus orationis est. Domus mea, inquit.* Ergo certo aliquo judicio Deo assignari et transcribi debet, ut omnibus sit notum, non esse profanam, sed Dei domum. Id ipsum confirmavit Dominus, cum huic solemnitati interfuit Jerosolymis, Joan. X. ubi templum intravit et concionem habuit, in qua divinitatis suæ sacramenta pandit. Denique, om-

nes homines ad finem et complementum magnorum et reipublicæ utilium operum gaudere et congratulari solent. Quidni etiam nos gaudeamus de templi perfectione, quæ tanto sit reipublicæ bono? Quæ ex domo communi fit domus Dei et porta cœli, uti dicebat Jacob, Gen. XXVIII. Accedit S. Augustinus, serm. CCLV. de tempore, scribens in festo dedicationis: *« Juste ac merito gaudentes celebramus festivitatem, in qua benedictus vel unctus lapis est, in quo nobis divina sacrificia consecrantur. »* Neque novum est hoc, sed in Ecclesia semper usitatum, ut patet tempore Evaristi papæ VI. a Petro, an. 112. qui titulos, id est, domos recens divino cultui mancipatas signo crucis, (quas ecclesias dicimus) divisit in urbe clericis, Baron. eo anno; quamquam facile concesserim, parum solemnitatis ante tempora Constantini adhibitum fuisse ad ejusmodi dedicationes, propter persecutiones. Postmodum vero maxima cum pompa et lætitia peractas fuisse nemo est, qui dubitet. Templa vero post ejusmodi consecrationem sancta esse et haberi debere patet. Primo, ex relatione ad Deum cujus domicilia esse incipiunt; quæ enim Deo dicantur, sancta sunt, ut videre est Levit ult. secundo, ex precibus et benedictione episcopali: tertio, ex rebus, quæ in templo sunt et servantur: ex dæmonis ejectione, uti ex historiis patet.

II. Murmurant contra cæremonias, quibus dedicantur ecclesiæ. Sed ego contra sto cum Zacchæo et dico: *Ecce Jacob: Erexit lapidem in titulum, seu altare, fundens oleum desuper,* Genes. XXVIII. Simili ritu Moyses tabernaculum, altare et omnia ejus vasa oleo sacro consecravit, uti ei præceptum a Deo, Exod. XXX. sic I. Macchab. IV. Macchabæi incensum posuerunt super altare et accenderunt lucernas: Salomon templum suum mactatione boum viginti duo millium, ovium centum viginti millium dedicavit. Atque, ut læceam gravissimorum Conciliorum et pontificum decreta et testimonia (quibus contradicere insani hominis est), finis horum rituum pro seipso loquitur, qui est:

Primo, ut his cæremoniis notum fiat, templum ejusmodi Deo et sacris actionibus mancipari, ac proinde omnibus maximæ venerationi esse debere.

Deinde, quid velit Deus fieri in templo suo spirituali, id est, anima cujuscumque, uti alibi explicamus.

Denique, propter fructum multiplicem qui nobis provenit. Excitant enim hæ cæremoniæ reverentiam erga res divinas, quarum usus est in ecclesiis: reprimunt malignos spiritus, qui in iis potissimum prestantes perturbare conantur quod

exemplo S. Gregorii, lib. III. dial. cap. XXX. patuit in quadam ecclesia, ex qua tempore dedicationis diabolus specie porci discurrens inter praesentium pedes exturbatus est. Similiter quando ecclesia major Coloniae debebat dedicari, nocte praecedente audita sunt voces malignorum spirituum inter se dolentium et conquerentium se a possessis diu sedibus debere expelli, ut scribit Siegebertus ad annum Domini 871. Quemadmodum enim tempore morientis Christi angeli praesides templi auditi sunt dicentes: Transeamus ex his sedibus, ut S. Hier. ex evangelio Nazareorum clarum facit (quia angeli non manent, ubi Deus expellitur) ita intrante in aedem consecratam divina majestate, tartarei spiritus illico proturbantur. Ad extremum impetrant nobis majorem gratiam et spiritualia auxilia apud Deum unaque peccata venialia expiant, uti docent doctores, saltem ex opere operantis. Et certe mirum foret Salomonem exauditum esse in templi sui dedicatione, et non audiendam esse Ecclesiam, seu episcopum ejus nomine precantem in nostrorum dedicationibus.

III. Murmurant contra anniversarium dedicationis. Sed dico celebratum fuisse lege perpetua hunc anniversarium a Macchabaeis, I. Macch. IV. et durasse usque ad Christum: idem institutum servatum est in Ecclesia, et a S. Felice papa martyre decreto sancitum seu potius confirmatum circa annum 273.

Nec immerito: primo, ut hujus beneficii, quo Deus inter nos habitare et domum sibi eligere cepit, nunquam oblivisceremur.

Secundo, ut spiritualis nostrae dedicationis, quae facta est in baptismo perpetuo memores essemus, cogitantes quid ante illam fuerimus, quid ea promiserimus: unde Rupertus, in Genes. ap. XXVIII. ait: « Non poterat fieri ut quisque nostrum diem suae regenerationis annuatim celebrare ageret; nec rursus emittenda erat absque memoriali celebritate tanta gratiae jucunditas, quae singulis nostrum collata est. Igitur qui diversis temporibus renati sumus, opportune pro particularibus festis, universalibus locorum festa celebramus, in quibus vitalia Dei dona percepimus. » Certe gentiles ephori et cum iis Lacedaemoniorum reges instaurabant quotannis juramenta de servandis Lycurgi legibus, cur non et nos singulis annis recordemur sanctificationis nostrae et promissionis factae Christo ad servandas ejus leges? Ad haec si reges et magni viri celebrant annuatim natales suos, uti fecit Herodes; cur non et nos natalitia nostra secunda, in quibus reges spirituales facti et inuncti sumus, primis multo feliciora celebremus?

IV. Murmurant contra populi concursum ad nostras dedicationes. Sed ecce Christus ipse una cum aliis venit Jerosolymam ad festum encenia- rum, Joan. X. Deinde, quis non laudet potius quam vituperet, quod Christiani ad hujusmodi festum conveniant ad participandas indulgentias et attestandum se esse ejusdem fidei et religionis cujus sunt illi apud quos dedicatio agitur? Ut enim lapides templi inter se uniti et artissime copulati unum conficiunt templum: ita Christiani fide et charitate juncti unam constituunt Ecclesiam. Neque hoc novum sed jam olim tempore Constantini Magni consuetum erat, teste Eusebio, lib. IX. hist. cap. X. qui sic scribit: « Interea festivitates a nostris frequentissime gerebantur cum omni laetitia et exultatione, per urbes et loca singula, ecclesiarum dedicationibus celebratis. Congregabantur in unum sacerdotes nec pigebat etiam longe positos convenire, quia nullo longum videbatur spatium charitati. Concurrent etiam populi ad populos et tanquam vere membra unius corporis Christi, jungi sibi invicem sociarique gaudebant. » Itaque gloriari potius nos, quam erubescere debemus de ejusmodi conventu, quia Christianorum fervorem, pietatem et in fide concordiam ostendit, quae quidem apud haereticos minime invenitur ut mirum non sit, si ad templorum suorum dedicationes minime conveniant. Quamquam quid de ipsorum dedicationibus dico, cum ipsi ante Lutherum nullam omnino habuerint Ecclesiam Lutheranam: omnes vero quotquot habent, catholici abstulerint? Habuerunt ante Lutherum templa sua catholici a tot centenis annis, ab episcopis his vel illis dedicata: habuerunt suas Moschaeas Turcae: suas synagogas Judaei, sed ubinam sua concionabula Lutherani? Nusquam. Forsitan in privatis aedibus? Aut in terrae rimis? Sed ubinam illae rimae? Ubi illae domus? Monstrantur adhuc Romae specus subterraneae, in quibus latebant catholici tempore persecutionis: sed ubinam specus Lutheranorum? Caeterum nostra fuisse templa illa, quae nunc ipsi inhabitant, ostendunt plurima indicia, altaria, sacrarium, crux in summo templi, vas aquae benedictae, picturae, epitaphia, tabulae episcoporum, qui ea consecrarunt, nundinae, quae in hisce conventibus a mercatoribus instituta etiam nunc apud ipsos celebrantur, nec nisi ex ecclesiarum dedicationibus extiterunt in praecipuis Germaniae civitatibus.

V. Sed ob hoc ipsum murmurant, quod tot et tanti abusus fiant in dedicationibus, ut nihil aliud esse videatur, quam tabernae, nundinae et aleatorum lusorumque scene, ut dicebat Lutherus. Sed heus vir bone, nunquamne audisti:

Nullum esse templum, juxta quod diabolus non aedificet sacellum? Verum scire oportet convivia sobria, ad contestandam publicam laetitiam, non esse contraria honestati et sacris litteris, uti patet in dedicatione templi Salomonis, ubi tot milia animalium mactata sunt, III. Reg. VIII. item Esth. etc. et viguisse etiam in dedicationibus, tempore Constantini Magni, apud Euseb. loco cit. quinetiam Dominus in persona patris illius dicebat filio suo: *Epulori et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est*, Luc. XV. Abusus vero, aleas, choreas et similia Ecclesia non approbat, quamquam ipsi haeretici, eliminato cultu divino, qui hoc festo peragi solet, sedulo adhuc retinent ludos, saltationes, convivia, etc. Quin et ad vicinorum et catholicorum dedicationes, nulla tacti religione appropinquant: nec facile adduci possent ad suarum synagogarum encenia celebranda, si haec mundi illecebrae prorsus tollerentur, et siquidem id fieret, nemo scire posset, quando dedicatio apud illos fieret.

## CONCIO X.

QUANTO HONORE ET VENERATIONE AFFECTA SINT TEMPLA.

I. A Deo: 1. Protectione. 2. Indulgentiis et gratiis. 3. Miraculis. — II. Ab angelis: 1. Custodiendo. 2. Inserviando. — III. Ab Ecclesia: 1. Profana arcendo. 2. Excommunicatos excludendo. 3. Immunitatem dando. — IV. Ab hominibus: 1. A Judaeis. 2. A gentibus. 3. A Christianis. 4. Ab hominibus. 5. A creaturis ratione destitutis.

## THEMA.

*Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de caelo, paratam sicut sponsam ornatum viro suo.* Apoc. XXI.

Quando rex aut imperator aliquis puellam sibi desponsavit, tunc quamprimum curat ut conjux etiam ipsa coronetur, et convocatis regni primoribus regina declaretur, et a subditis in posterum ut talis honoretur. Sic Assuerus rex, postquam repudiata Vasthi, speciosissimam at virtuosissimam Esther sibi desponsavit, posuit diadema in capite ejus fecitque eam regnare loco Vasthi. Jussit insuper preparari convivium permagnificum cunctis principibus et servis suis pro conjunctione et nuptiis, Esther I. Esth. II. Ad eundem modum Christus, repudiata synagoga, Ecclesiam sibi desponsavit, cujus hoc templum typum gerit. De ea enim canitur hodie in epist. ex

Apoc. Joan. *Vidi civitatem sanctam, etc. tanquam sponsam ornatum viro suo.* Quid igitur superest, nisi ut eandem Christus ab omnibus coli et honorari velit? Propterea siquidem eam solemnibus ritibus dedicari, et quasi coronari facit per manus episcoporum, ut velut sponsa Dei et regina a Christianis honoretur. Et vero quocumque aspicio, vadique video magnis honoribus affici sacras aedes ut mirum profecto sit, si quis reperiat, qui hoc idem non faciat; cui ut pudor injiciatur, videndum, qui quibus honoribus cumulentur s. templa.

I. Honorat illa Deus. Primo quidem, non tantum singulari protectione, sed insuper suapte praesentia et reali existentia in s. eucharistia. Mirabatur Salomon Dei dignationem et bonitatem, quod sua protectione inhabitare templum a se aedificatum voluerit: *Ergone credibile est, inquit, ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si caelum et caeli caelorum non te capiunt; quanto magis domus ista quam aedificavi?* II. Paral. VI. Quid dixisset, si vidisset Deum corporaliter praesentem in templis Christianorum? Unde S. Chrysost. hom. XXXVI. in I. ad Corinth. ait: « Ecclesia est locus angelorum, locus archangelorum, regnum Dei, ipsum caelum; quod si non credis, aspice ad hanc mensam, » id est, altare. Quare sicut merito censetur Christus valde honorasse nuptias in Cana, quia in persona illis adesse voluit; sic etiam et multo magis honoravit templa, quibus in eucharistia praesens esse voluit usque ad consummationem saeculi. Quid enim hoc aliud est, quam e templo facere caelum? Ubi Deus est, ibi ejus aula et caelum est.

Secundo, praerogativa indulgentiarum et gratiarum, quas orantibus in templo promisit Deus. Si enim promisit orantibus in templo Salomonis, III. Reg. IX. dicens: *Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus*; et II. Paral. VI. *Erunt oculi mei aperti; et aures meae erectae ad orationem ejus, qui oraverit in loco isto*, quanto magis templis novae legis hoc praestabit? Multos novimus sola templi occasione e deterrimis sanctissimos evasisse, et qui corvi templum intrabant, columbas exiisse, quemadmodum Publicanus ascendit in templum peccator, descendit justificatus. Indulgentiarum concessione honorat templa median- tibus summo pontifice et episcopis (qui eas velut dispensatores ejus e thesauro Christi accipiunt et templis applicant) atque ita facit ea domus refugii, sicut in veteri lege sex civitates refugii constituit pro reis. Magnum foret palatii illius decus et ornamentum, cujus ingressus a debitis hominem exsolveret. Talia vere templa sunt, si de peccatorum debitis loquamur.

Tertio, miraculis, cujusmodi pleni sunt libri. Notum id de Beata Virgine ad nives, cum in Augusto mense calidissimo Romæ nix eam partem collis Exquilini mirabiliter texit, ubi Beata Virgo templum sibi erigi a Joanne patricio voluit, sub Liberio pontifice. Quin quædam templa ipse manu sua Christus consecrare voluit, ut S. Dionysii Parisiis, in cujus rei testimonium leprosum qui in templo pernoctans vidit, curavit et lepram faciei abstersam proximo lapidi agglutinavit, uti in hodiernum visitur, et habet Rob. Ganguin. lib. III. annal. Franc. Sic in eremo Helvetiorum adhuc monstratur figura manus Christi lapidi impressa ad contestandum, quod ipse templum id consecravit.

II. Sancti angeli primo, custodiendo templa et altaria eaque defendendo contra hostes. Lauretanam ædem suis aliquoties manibus totam per aerem, et vero etiam trans maria portaverunt, Horat. Tursell. histor. Laur. lib. I. cap. II. V. VII. et VIII. et quod in lib. Macchabæorum II. legimus, cap. III. cum duo juvenes, (qui erant angeli) apparuerunt flagellantes Heliodorum direptorem templi. Id contra Saxones repetitum est, ut duo cælestes juvenes templum defenderent ab eorum importunitate, ut refert Ado Viennen. etat. VI. sub anno Domini 774. Visus est angelus præforibus templi Constantinopolitani adstare, qui prohiberet ab ingressu milites adversus Joannem Chrysostomum missos, ut est in ejus vita. Quin etiam altaria consecrata ab angelis custodiri patet ex prato spirituali Joannis Moschi Evirati, quod scribit ad Sophron. c. X. Cum enim Barnabas abbas juxta Jordanem, in spelunca sua altare erexisset, visus est in altari angelus ab anachoreta quodam, qui cum eum interpellasset: *Quid hic agis?* respondet angelus: *Ex quo sanctificata sunt ista a Deo ipso mihi credita sunt.* Quinetiam bestiis in loco sacro damnum inferri non est passus angelus Michael in monte Gargano, cum sagittam in bovem emissam retorsit in sagittarium, Baron. 8. maii, in martyrologio.

Secundo, serviendo in templis ad missæ sacrificium. Præsertim S. Chrysostomus, hom. XV in epist. ad Hebr. ait: *Plenæ sunt ecclesiæ in corporeis virtutibus*: et homil. XXIV. in Acta apostolorum. inquit: *Nescis quod cum angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis?* Fuit vero Chrysostomus testis oculatus horum, quia S. Nilus abbas ejus discipulus scribit ad Anastasium episcopum de eo, quod fere semper quoties celebrabat, angelos viderit magno cum silentio et reverentia circumstantes et ministros altaris adjuvantes; nimirum ut apes stipant et circumdant suum regem, teste Plinio, lib. XI. c. XVII. sic et

angeli Christum. Quid? Num solum illum relinquerent?

III. Ecclesia primo, quia non tantum illicita uti imprimis sanguinis et seminis effusionem, sed etiam alias licita, profana tamen, prohibet fieri in templis, uti judicia et arbitria, cap. *Decet, de immunit. Eccles.* in VI. emptiones et venditiones ex ore Christi, Matth. XXI. convivia et agapes, cap. *Non oportet*, dist. XLII. conventus clericorum ad negotia sæcularia, d. cap. *Decet*. Quod si talia alibi licita, in templis sunt illicita, quanto magis cætera? Unde S. August. tract. X. in Joan. argumentatur: « Quod si ibi ebriosos inveniret, quid faceret Dominus? Si vendentes ea, quæ licita sunt, et contra justitiam non sunt expulsi, etc? Quid denique templum sanguinis vel seminis effusione polluere? Audiatur apost. I. Cor. III. *Si quis templum Dei violaverit*, inquit, *disperdet illum Deus* (quod quidem dicit de templo spirituali, homine, argumento tamen ducto a templo materiali).

Secundo, quia prohibet ab eorum ingressu excommunicatos et interdictos. S. Ambrosius clausit fores templi Theodosio imper. ob eadem Thessalonicensium christianorum, donec prostratus ad pavementum suffusus lacrymis publicam pœnitentiam egisset, ut in Baron. anno 390. sic Fabianus papa vetuit Philippum imper. ecclesiam ingredi, donec pœnitentiam ageret, ut refert ex Eusebio, lib. VI. cap. XXVII. idem Baron. anno Domini 246. sic Guilielmus episcopus Roschildensis Suenonem regem Daniæ ab ingressu ecclesiæ baculo pastoralis foribus opposito prohibuit, eo quod duos viros nobiles in ecclesia trucidari jusserit, donec pœnitens et supplex ad fores templi venit: sic Babyllas episcopus cum sacrificium in ecclesia offerret, intersipienti per cancellos Numeriano dicebat: *Non licet tibi cruce et idolorum sacrificiis polluto tam petulanter in domum Dei ingredi, et divina mysteria contaminatis oculis contemplari*, Niceph. lib. VI. histor. cap. XXXIV. Paruerunt hac in re etiam mortui sæpe, quemadmodum S. Gottardo episcopo Hildesheimensi et prius abbati inferiori Altach. qui dum in sacrificio missæ excommunicatos aliquos excedere e templo (juxta ss. canonum institutum) jussisset, et illi remanerent, sepulti quidam, qui simili anathemati subjacuerant, e tumulis templi surgentes exierunt, quos pudore suffusi viventes secuti sunt. Postquam vero episcopus revocavit mortuos et absolvit, ad suum quisque tumulum rediere, Matthæus Raderus, in Bavaris sancta.

Tertio, quia immunitate ea donat, cujus vigore primo, patratores criminum ad eam confugientes abstrahi non possunt, et quidem jure. Si enim

regia palatia tali privilegio gaudent, cur non basilicæ et regiæ Dei? Præsertim cum et ipsæ sacro oleo, non minus quam clerici, inunctæ sint? Quod si etiam apud ethnicos hoc privilegio gaudebant aræ deorum, et statuæ principum et templum Diænæ Ephesinæ; cur non potius templum Christianorum? Joiada pontifex vetuit Athaliam in templo occidi jussitque eam foras educi, IV. Reg. XI. sic Banaias occisurus Joab, jussit illum e tabernaculo Domini egredi, III. Reg. II. S. Chrysostomus Eutropium confugientem ad templum a morte tutatus est: S. Basilius vindicavit viduam altare complexam a præsidis injuria.

IV. Homines, primo, Judæi, qui quoties orabant, ad templum faciem convertebant etiam longe distantes. Sic Daniel in Babylone orans in cœnaculo suo solebat aperire fenestras contra Jerusalem, Daniel VI. deinde, Judæis templum ipsum ingredi non licebat: unde Luc. III. *Omnis multitudo populi erat orans foris ora incensi*, et ideo certum atrium erat populo assignatum. Soli sacerdotes ingrediebantur templum, reliqui omnes tam nobiles, quam ignobiles foris in atrii consistebant: denique, si Montano, in lib. de fabrica templi credimus, nemini licebat in templo sedere, præterquam regi et pontifici: nimirum illi servi erant, nos filii et liberi: ipsi filii Agar servæ, id est, synagogæ, nos filii Saræ liberæ, id est, Ecclesiæ.

Secundo, gentiles, qui sua quidem templa magnis afficiebant honoribus; siquidem ea solemnibus ritibus initiabant honoribus; et præterea magno cum silentio in iis sub sacrificio versabantur. Unde Seneca teste, in lib. de vita beata, præco in templo clamabat: *Favete linguis: silentium observate*. Apud Turcas piaculum est canes et similia inquieta et immunda animalia in eorum Meschitas inducere, teste Chavass. de prudentia, lib. I. IX. Quid isti facerent et fecissent, si veri Dei templa habuissent? B. Arsenius visa compta et ornata muliere plorabat, quod ipse non tantam haberet curam animæ, quantam illa corporis: sic audita ethnicorum religione plorare deberemus, quod nos veri Dei templa non tantum veneramus, quantum illi fana idolorum. Et vero etiam templa nostra aliquando venerati sunt, ut Antiochus qui II. lib. Macchab. XIII. *Honoravit templum et munera posuit*: similiter Heliodorus hostiam obtulit Deo in eodem, II. Macchab. III. eodem misisse munera Cyrum et Darium Artaxerxem ait Esdras, I. Esdr. cap. I. et VII. ad hæc barbari Gotthi Romam invadentes Christianis ad templa fugientibus pepercerunt, apud Bredenb. lib. V. coll.

Tertio, Christiani et imprimis reges ac principes ea donariis, prædiis, privilegiis condecorarunt, ut alibi diximus. Deinde, maxima religione coluerunt, uti Constantinus Magnus, qui ad fundamentum basilicæ Vaticanæ S. Petri construendæ, lignem accipiens terram primus aperuit, et inde duodecim cophinos terræ suppositis humeris in honorem duodecim apostolorum asportavit, et ita gaudens et exultans in carruca sua sedens cum episcopo ad palatium rediit. Theodosius minor in Conc. Ephesino, ita loquitur: « Dei templum ingressuri foris arma relinquimus, et ipsam etiam diademata regiæ majestatis insigne humiliter deponimus, et sacra altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus, quibus quoque oblati ad extimum communeque atrium mox nos recipimus. » S. Elisabetha similiter diademata deposuit templum ingressura. Chrysostomus, in II. Corinth. cap. XXIII. homil. XIX. ait: *Vestibulum et ingressum templi osculamur*. Præterea hom. XXXIX. ostendens quomodo suo tempore templa colerentur, ait: « Non vides quomodo hujus templi limen intrantes osculantur? Quomodo quidam genuflexi manum basient? » Item olim ecclesiam intraturi lavabant manus, ut ostendit Corn. de Lapide, in I. Tim. II. S. Martinus episcopus nunquam in templo sedere visus est, ut in ejus vita.

Irrationales etiam creaturæ, et imprimis terra, siquidem orante S. Gregorio Thaumaturgo mons, qui ædificationem ecclesiæ impediabat, tantum de loco suo recessit, quantum ædificationi necessarium erat, apud Euseb. lib. VII. histo. eccles. cap. XXVI. Aqua similiter, nam anno Domini 589. Veronæ Athesis amnis ita crevit, ut aqua ad ædem D. Zenonis pervenerit. Et tamen ipso rege spectante aqua apertis templi januis ingruens, templum ipsum non iniit, ut alibi diximus, ex Carol. Sigon. lib. I. de regno Italiæ, ad annum 389. Item infideles aliqui in Cheresopa Chonesi Asiæ regione, fluvium Chrysum in templum aliquod Christianorum derivare conabantur, ut ejus alluvione templum subrueretur, cumque ad id alveum ingentem fudissent, fluvius nulla ratione eo adduci potuit, sed potius in contrariam partem erupit longissime a templo, ex metaph. Lipomanus, tom. VI. die 5. septemb.

Quid igitur ad hæc dicemus, nisi id Isa. LXXIII. *Erubescet Sidon, ait mare?* Erubescet o homo, ait Deus, angeli, Ecclesia, Judæi, gentiles, veteres Christiani, elementa, quod ipsa tantum reverentiæ et honoris exhibebant templis, tu vero tam parum.

## CONCIO XI.

## QUANTO FRUCTU FREQUENTENTUR TEMPLA.

I. Zacchæus Christum vidit. — II. A Christo visus est. — III. Exauditus est. — IV. Fructus pœnitentiæ legit. — V. Salutem consecutus est.

## THEMA.

*Ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Luc. XIX.*

Felix prorsus, nobilis et salutaris arbor sycomorus illa fuit Zacchæo nostro, in quam conscendit: siquidem in ea Dominum vidit; in ea a Domino visus est oculo dilectionis; in ea exauditus est juxta desiderium suum, ut Dominum cognosceret, quis esset; in ea multos fructus pœnitentiæ invenit, compunctionis et remissionis peccatorum; per eam denique salutem acquisivit, et ex peccatore vir sanctus evasit, quia salus domui ejus facta est. Unde existimo Zacchæum, quoties postea sycomorum illam præteriens intuebatur, toties illi gratias egisse ac dixisse: O felix arbor, o nobilis arbor, o salutaris arbor, quæ mihi Salvatorem ostendisti, quæ me Deo ostendisti, quæ desiderium meum explevisti, quæ conversionem meam procurasti, et fructus pœnitentiæ mihi obtulisti, quæ salutem mihi dedisti! O felix arbor, o nobilis arbor, o salutaris arbor! Et quis, o Christiani, si talem sciremus arborem, quam tanto nostro fructu conscendere possemus, non totis viribus ad eam festinaret, et cum Zacchæo præcurrrens irreperet? Sane si in terra sancta adeoque in media Turcia arbor hæc vel similis adhuc extaret, merito eam omnes quærere et conscendere deberemus.

Numquid superest igitur ejusmodi arborum aliqua? Imo vero, et quidem multa millia per totum orbem Christianorum dispersa, et ubique passim obvia. Talia enim sunt Deo dicata templa, in quibus Christus transire quotidie cernitur in missæ sacrificio, quæ si fervore simili, et quidem frequenter adiremus, non dissimiles fructus inde caperemus; uti mox videbimus.

I. In sycomoro Christum vidit Zacchæus et cum eo multa alia, quæ prius nunquam. Vidit enim inanitatem terrestrium honorum, dum ea mox contemnere et erogare cœpit: vidit præstantiam cœlestium, quæ desideravit: ad eum modum, quo quis altius ascendens, quæ supra sunt, majora esse conspiciat, quæ in terra sunt minora. Similiter etiam in templo Deum et cœlestia videmus, multo clarius, quam aliis in locis. Imprimis enim Christum in eucharistia, velatum licet, aspiciamus, cujus aspectu non minus sanaremur

a morsibus serpentum, id est, peccatorum, si devote eum contemplantur, quam Judæi olim aspectu serpentis ænei.

Vidimus etiam in templo Christum quoad ejus mysteria vitæ et passionis, tum in sacræ missæ cœremoniis, tum maxime in concionibus et evangelii lectione, quis sit, fecerit, quid passus sit, etc. quæ contemplationes ingentes afferunt utilitates et illuminant mentes hominum. Templum enim est academia Christianorum, extra quam parum aut nihil addisces; sicut qui privatim et extra academiam studet: inde Beata Virgo et Samuel adeo illuminati, quia in templo educati erant. Certe Zacchæus, quamdiu in turba erat, Christum non vidit; supra turbam ascendit, et Christum vidit; ut inquit Sanctus Ambrosius, Lucæ XIX. Similiter quamdiu in turba sæcularium negotiorum et societatum sumus, Christum vix aut nunquam videmus, licet domi conciones legamus, etc. clarius autem in templo et sub concione intuemur. Sanctus Antonius haud dubie sæpius ante audierat vel legerat id evangelii: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, etc.* non tamen inde conversus est ad vitæ perfectionem prius, quam in ecclesiam ingressus id audisset, ut habetur in ejus officio, lect. IV. Videmus denique divinorum bonorum præstantiam, cum enim templi splendorem et ornatum intuemur, sacerdotum paramenta, ordinem ministerii, majestatem cœremoniarum; cum audimus musicæ suavitatem, odorem thuris percipimus, in contemplationem cœlestium bonorum venimus, et despiciere terrena incipimus ac cogitare: Si domus Dei terrena tanto splendore decoratur, quid erit in domo ejus cœlesti: ac propterea templum Salomonis adeo splendide ædificatum erat, et postea templa Christianorum, ut hinc in cognitionem amorem cœlestis templi raperemur, terrenaque vilipenderemus. Sic enim David posthabita regia sua cedrina, et regis deliciis dixit Psal. XXVI. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini et visitem templum ejus.*

II. In sycomoro Zacchæus a Christo visus est, et quidem oculo dilectionis et gratiæ: qui si in turba mansisset infra, tali modo visus non fuisset. Non enim legimus alteri e turba similem aspectum a Christo imperitum esse. De Zacchæo solo ait Lucas: *Suspiciens Jesus vidit illum.* Similiter qui libenter et frequenter, ecclesiam frequentant, et a Deo videri merentur peculiari modo, oculo dilectionis et protectionis scilicet seu oculo paterno, quo prodigus filius a patre, quo lapsus a Christo Petrus, quo vulneratus ille a

Samaritano est conspectus. Dum enim in domo Dei libenter et sedulo versamur, domesticos imo filios Dei esse nos ostendimus, quos Deus utique singulari modo diligit, proteget, et pro filiis habebit: sicut Booz audiens Ruth semper in agro ejus versari et spicas colligere, vocavit eam filiam, et præcepit ut nemo ei molestus esset, et ut semper in agro ejus colligeret, Ruth. II.

Neque enim deterioris conditionis erunt apud Deum templa Christianorum, quam fuerit olim templum Salomonis. De illo autem dixit Deus, III. Reg. IX. *Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* Non utique super lapides et ligna vel etiam aurum et argentum templi, sed super ejus inhabitatores et cultores. Demonstravit hoc aliquando memorabili exemplo, quod ex Sancto Gregorio refert car. Sigonius, lib. I. de regno Italiae ad annum 359. quo Athesis Veronæ exundans ad fenestras tecto proximas templi D. Zenonis ascendit, Christianis qui intus erant aquam quidem ad januam haurientibus, nihil tamen mali passis, siquidem aqua undique templum alluens, minime ingrediebatur, nimirum Christus oculo protectionis filios suos ibi congregatos aspiciebat. Quod si igitur simili modo a Deo videri et protegi volumus, domum ejus libenter et sedulo frequentemus. Hinc olim Christiani solebant primo, omnium templum ingredi, cum civitatem aut locum aliquem intrabant; quemadmodum de Sancto Nilo testatur Surius, item de Sancto Mauro et ejus comitibus. Hoc enim et ipse Christus fecit Matth. XXI. cum ingrediens Jerusalem, statim intravit templum, utpote domum Patris sui. Unde S. Chrysostomus ibidem ait: « Hoc erat primum boni Filii ut et veniens ad domum curreret Patris, et illi honorem redderet, qui genuit: ut tu imitator Christi factus, cum in aliquam ingressus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad ecclesiam curras. »

Præterea et a discipulis Christi visus est Zacchæus et in eorum societatem receptus; ita etiam angeli et sancti templorum patroni diligere et protegere ac in suam societatem recipere solent eos, qui libenter templa frequentant. Sunamitis illa IV. Reg. c. IV. videns Elisæum sæpe ad se divertere, ait ad virum suum: *Animadverto quod vir iste sanctus est, qui transit per nos frequenter; faciamus ergo ei canaculum parvum et ponamus ei in eo lectulum et mensam et sellam et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.*

Credite etiam sanctos, præsertim templorum patronos idem præstare illis, qui eorum templa crebro et pie adeunt. Advertunt enim eos pios et Deo amicos esse, ideoque suis orationibus impetrant eis a Deo lectulum, id est, pacem et tran-

quillitatem; mensam, id est, necessaria ad victum; sellam, id est, honorem et famam bonam; candelabrum, id est, mentis illustrationem et divinarum rerum suique ipsius cognitionem. Ea fere omnia expertus est Sanctus Hermannus, de quo r. p. Matthæus Raderus, II. p. viridarii ss. c. V. hæc scribit. « Hermannus Coloniae Agrippinæ honestis quidem, sed nullarum prope facultatum parentibus natus, ob animi candorem et ingenii simplicitatem Josephus audit: puer ædem sacram paternis laribus cohærentem assidue terebat, et crustulam vel panis, vel horti fetus poma, pira, quæ in obsonium a parentibus accipiebat, cum effigiato puero Jesu a Virginis collo pendente communicabat. Visus est Christus delectari liberalitate pueri, et cum illo comesse, imo vero et lusitare, adeo se majestas suprema ad hominis conditiones demittit; quod ubi mater ex Hermanno sæpius audit: Age inquit, filii, quia natum Virginis sæpius convivam habuisti, precare matrem ejus ut ipsa nobis esurientibus, et omni nunc ope destitutis epulum paret, victumque suppeditet. Rogavit Hermannus et impetravit, jussus matri significare conditum esse aurum sub lare domestico: reperit mater, et familiam inde aluit, et Deum Matremque Dei debitis gratiis venerata, Hermannum paulo post Steinfeldensi cœnobio, etiam ante annos præscriptos ob pietatem admissum, consecravit. Unde in Frisiam ad capiendum ingenii cultum amandatus in æqualium odia propter psoram, fœdamque scabiem capitis et impetiginem incidit; sed confugit ille mox ad consuetum sibi asylum, Virginis aram, a qua tum asperitæ squamarum abstersa, tum sordibus corporis elotis, cum omnium admiratione subitam incolumitatem recepit. Tantæ religionis erat, ut non solum ipse nullum insolens verbum excidere sibi pateretur; sed in magistris etiam ægre ferret, si quando pro more gentis inter docendum deorum nomina, Joves inquam, aut Hercules aut hoc genus alia monstra Tartari, quæ hodie nonnulli scriptis etiam suis inferunt, proferrent. Vitam in Frisia posuit, animum cœlo transmisit. »

III. In sycomoro Zacchæus exauditus est, sicuti optabat. Christum is videre et noscere volebat, vidit et cognovit, adeoque hospitem habuit: qui si in turba mansisset, desiderio suo utique fraudatus fuisset, Christum non agnovisset. Similiter qui in templis orare solent, facilius a Deo audiuntur, tum quia ibi propius audientiæ divinæ locus quodammodo est, siquidem templo specialis promissio exauditionis a Deo facta est, II. Par. VII. *Oculi mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.*